ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

VIRO ILLUSTRI
D. CONSTANTINO HUGENIO
A ZULICHEM

S. P. D.
Andreas Arnoldus, C. F.

Simul atque Leidam sum reversus, Magne Hugeni, animadvertebā
potestatem suam in me fortunam ostendisse, cui eodem tempore Ger-
mania suppeditarit problema Hartmanni, quod me missurum fidem
dedi. Sed patere, oro atque obtestor, ut antequam nonnulla ejus
rei perscribam, gratias Tibi agam immortales, et Vesserorum, & in-
primis meo nomine, pro benevolentia, quæ tenuitati meæ per vitam
obtigit longe maxima. Videris præstitisse opus mortalium conditio-
ne multo augustius; siquidem admiramur maximorum hominum labores,
indeque eos ferme cognoscimus: Tu illorum amicas manus, blandos sua-
vesque sermones, oculis subjicis, ut non immerito quis conjecerit, Te
reddere vitam ipsis posse quandocunque fuerit animus. Maximus es, qui
hæc valeas: ego felicissimus, qui præsens intuebar. Quanta debentur
gratiæ? solvo, quas debeo; & debebo, quas solvi.

Satis ampla apparent, quæ Hartmannus demonstrare aggreditur
de propositione Pythagoræ, „usque adeo universali, ut ejus veritas
„extendi possit et debeat ad cujuscunque speciei figuras a lateribus
„descriptas, idque absque ope V. et VI. seu absque ulla laterum propor-
„tione. Pari ratione actum non aget, ubi manifestum fecerit pro-
blema „e dato cuicunque □to construere æquale rectilineum cujuscunq
„determinatæ speciei. Si censes, Vir Illustris, Incomparabilem
Filium

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7163

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7163

Filium Tuum, quem ab aliquot annis venerari didici, rem velle ingenii committere acumini, næ ego lætabor, si Tuo præsertim indicio sciat obsequia mea cultumque. Dabit Deus vitam, sine eo honorato Galliam me vidisse numquam existimavero: Servasset Divinum Numen grande decus hoc, quod incremento bonarum artium liberaliter indulsit. Cum grata etiam recordatione in mente versatur, quod docuisti de Ludovici Nassovii, Beverwardiæ Dynastæ, tribus filiis; o utinam plane sciremus mutationem illam clypeorum natalitiorum. At verecundiæ limites transilire haud licet; quare finiendum ratus, vota pro salute Tua, Vir Celeberrime, suscipio, cum publicam salutem servare possis servesque. Longum vale, et perpetuo favore me prosequere, qui nomen Tuum inter meas scribere dignatus es. Dab. Lugd. Batav. a.d. V. Novembr. CIↄ IↄCLXXX.

En nomen hospitii, si quid jubendum arbitreris: Op 't Rapenburgh in de Kalve Maen op Steenschuyr.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7163